

784.

13
1646 3
a
13

DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE!
ENODATIONEM
LEG. XIII. XIV. TIT.
PANDECTARUM
POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subjectæ
convenientibus illustratam, & ad disputandum

In Inlytâ Leucoreâ

Ex decreto atq; Authoritate Amplissimi
Collegij Juridici propositam,

PRÆSIDE

HENRICO COSELIO
de Pezlinovez J. U. D.

Amica dimicationi subjiçiet

IGNATIUS MOLLERUS
Gorlicio-Lusatius,

Ad diem 2. Novemb.

horis & loco consvetis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO MDC XLVI.

IS
D.



VIRIS

Generosissimo suaq; & avita virtute
Magno,
 Du. HIOBO von SAIZ/ In Eberß-
 bach/ Bierßdorff Marckerßdorff/ &c.
 Praefecto Juridico Electorali Sa-
 xonico, per Gorlicentem Du-
 catum Gravissimo.

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, Sere-
 niß. Electori Saxoniae à Consiliis in
 judicio appellationum.*
 Dn. JOHANNI HEIGIO, J. U. D.
 ac Hæreditario in Hennerß-
 dorff/ &c.

NEC NON

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis atq; Experientissimo,
 Dn. GEORGIO ENDERMANNO Dn. BARTHOLOMÆO GEHLERO
 nunc Consuli spectabilissimo. Consulari Syndic. & Scholarchæ
 gravissimo.
 Dn. VALENTINO BOSCHEN Dn. DANIELI NYCHENW
 zu Bierßdorff/ Viro itidem Con- p. t. Judicii laudabilissimo.
 sulari meritissimo. Dn. ELIÆ NYCHENW
 Dn. GREGORIO GOBIO, Hæredi- J. U. C.
 tar. in Nauscherwalda.

Scabinis dignissimis.

UT ET

Dn. M. FRIEDRICO FERBERO, Podalirio & Practico ibidem felicissimo.
*Omnibus adeo ac singulis Patribus in Repub. Gorlicensi conscriptis,
 Mecanatibus meis Magnis.*

U w egitew!

Dabit is veniam, Viri Magni, quod praesens hoc Exercitium disputatorium superiori tempore, in hac ad albim nostrâ, publice habitum, Amplissimis Vestris inscribere audeo Nominibus. Id enim in more nostris est, qui vires suas in hac Palestrâ disputatoriâ periclitantur, ut vel Parentibus vel Mecanatibus sua inscribant meletemata, non ut suas modo, tum in studiis industriam, tum animi observantiam, tum gratitudinem iis probent; sed suis etiam studiis amabilem benevolentiam impetrent Favonium. Quemcunq; horum finium adspexero, nullus à scopo meo erit alienus; quanquam interim prolixam ea de re texere nolim orationem. Per se manifestum est, quantum Vobis, Patres Patriæ Patres Conscripti, ego Patrius debeam. Hoc saltem hac vice, ut & Exercitium hoc Academicum Vestro pollice approbetis, & cetera mea studia hospitali vestro favore ac benevolentia ampleximini, humillime precor, voveo. Valet dab. Witeberga d. 2 Novemb.

Vestrarum.

Generos. M. AA. Cl.
 devotissimus Cultor & Admirator.
IGNATIUS MOLLERUS
 Respondens.





I. N. J.

Lex XIII.



Non videtur cepisse] Id est, non videtur acquisisse. Capere enim est cum effectu capere, sic ut acquisitum nobis habeamus *arg. l. cum ej qui. 42. D. d. Legat. II.* Et quamvis capere & accipere interdum confundantur, quemadmodum exempla reperiuntur in *l. Si quis Obligatione. 115. § 1. D. b. t. l. 1. § hęc verba. 11. D. Si cui plus quam per L. Falcid. licuerit & c. l. ita tamen 27. §. heres 16. D. da SCT. Trebell* Plerumq; tamen in juris disciplinā distinguntur, ita ut capere dicatur, cum effectu capere, sic ut acquiramus. Accipere autem videatur is, qui non sic accipit, ut habeat *text. notabil. in l. aliud. 71 D. d. V. S.* Accipere igitur generalius verbum est quam capere: quia quocunq; modo nobis quid datur, traditurvè etiam si custodiæ tantum causa, vel ut conductum habeamus, aut detineamus datum traditumve sit; accepisse dicimur. *l. Naturalis. 5. §. & si quidem 1. D. deposit. l. Si & furioso 12. l. nam etsi. 13 in fin. ib. accipientis non fuit. l. Si ego pecuniam. 18. in pr. l. seq. D. d. reb. credit.* Capere vero solummodo est ita accipere, ut statim accipiens Dominus aut quasi fiat, vel certe ne res sibi invito avocari possit. *l. non videtur quisquam. 51. l. ex qua persona 149. D. b. t. l. ex facto. 43. §. Julius Longirus. 3. D. d. vulgar & puplar. subst. hoc est,* ut suo jure habeat. *l. nomen filiarum. 164. §. fin. D. d. V. S. add. arg. l. non quocunq; modo 82. in pr. D. d. Leg. I.* Sed de his infra ad *l. 51. b. t.* plura subijciemus.

qui] Sive sit mas sive foemina. Certum enim est, quod sermone masculino sexus foemininus, non modo quoad extensivæ significationis beneficium, sed etiam maxime quoad sermonis proprietatem comprehendatur *l. verbum hoc si quis. 1. l. hominis 152.*



l. patronis. 52. l. pronuntiatio 195. l. Servius. 122. D. d. V. S. Summus enim ille rerum MODERATOR atq; ARBITER hominem ad imaginem suam creavit, hominem vero masculum & foeminam, & quidem ita, ut si creationis ordinem intueamur, ex masculino prius creato foemina tanquam ejus portio & pars sit effecta. vid. *cap. 1. Genes. v. 27. & cap. 2. v. 7. 21. & 22. Johann. Gaedd. ad d. l. 1. d. V. S. n. 22.* Ubi plura videri possunt.

per exceptionem] Exceptio generaliter ita dicta est defensio ex justa & legitima causa, competens adversus id, quod ab adversario intenditur. Dicitur autem ab excipiendo, ea scilicet significatione quatenus vel interficit actionem, vel differt & vulnerat tantum eandem. *l. exceptiones. 3. D. d. Exceptionib. §. temporales 10. Inst. eod. vid. Zanger. de except. part. 1. cap. 3. n. 22. & 23. Schneidw. ad tit. Inst. de Except. n. 2. Emeric. à Rosbach. in Prax. civil. tit. d. exceptionib. 39. n. 2.* Definitur etiam exceptio in genere ita accepta per allegationem Reo competentem. *Jacob. Cujac. in w. ad tit. D. d. Except. Aliter quoque exceptionem describit Ictus Ulpianus in l. Exceptio. D. d. Exceptionib. quod scilicet sit actionis exclusio quaedam, quæ opponi actioni cujusq; rei solet ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum est. Vid. præterea l. 22. D. eod. tit. Vult ad tit. Inst. de Except. n. 6. Cujac 5. obs. 34. Zanger. d. l. v. 18. & 19. Treutl. vol. 2. disp. 26. tb. 1. lit. B. Bachov ib. Schneidw. ad tit. d. Except. n. 2. Wesenb. in w. eod. n. 9. Bartol. in l. scire oportet. 13. §. oportet 10. D. d. Excusat tutor. n. 5.* Verum definitiones istæ exceptionibus in genere haud competere possunt. *Wesenb. ad tit. C. de Except. Emer. à Rosbach. d. l. n. 2. Zang. ib. d. n. 21. & 22.* Rectius igitur exceptio in genere sumpta per defensionem Reo competentem definiri vel describi potest. *l. cum nondum. 4. l. Siquidem 9. cum l. seq. C. d. Except. Wesenb. ibid. n. 2. Rosbach. l. sup. cit. Zanger. in d. tract. de Except. p. 3. cap. 3. n. 24* [Paulo dilucidius hæc illustrare & exponere videntur ea quæ Imperat. Sacratissimus Justinianus in *pr. Inst. de Except.* tradit. Exceptiones nimirum Reorum defendendorum gratia cum quibus agitur esse cõparatas. Sæpe enim accidit, ut licet ipsa persecutio qua Actor experitur, justa sit, id est, jure fundata, tamen iniqua sit, adversus eum cum quo agitur

tur. Consentit Reinhard Bachov. ad. d. pr. Inst. de Except. ibi: Nam
& dicitur defensio, per l. defensiones. 11. C. eod. tit. Vult. ad id. princ.
num. 3. & n. 4. Quanquam autem exceptionis nomine in genere
sive largiori & improprio significato sumpto comprehendatur
omnis omnino defensio per d. l. defensiones. 11. C. de Except. Dd. in
rubr. D. & C. eod. Treutl. vol. 2. Disp. 28. th. 1. l. A Zanger. d. loc. num. 1.
Proprie tamen solum hoc nomine notatur (praesertim hinc loci)
quod ad excludendam vel removendam petitionem seu actio-
nem & intentionem objicitur. l. exceptio. 2. l. 22. D. de Except. D.
Dauth de testam. n. 132. Schneidw. l. sup. cit. n. 2. Zanger. d. l. num. 20. 21.
& seq. Unde ajunt Dd. Eum qui contenta in bello simpliciter
negat non videri proprie excipere. Exceptiones enim proprie
dicuntur quae non negant actionem jure subsistere, sed esse in-
quam adversus eum cum quo agitur demonstrant. d. 1. Inst. de Ex-
ception Paul. Berens. in Exercit. Academicis. disp. 17. th. 1. quest. 3. Ac-
cedit etiam quod exceptionis mere negantis nulla sit probatio:
exceptio vero à Reo est probanda l. in Exceptionib. 19. D. de proba-
tionib. arg. l. 1. D. de Except. Cujac. ad l. 2. D. de probation. vers. & tandem
hujusmodi vid. Wesenb. in w. de Except. n. 2. Hilliger. ad Donell. l. 22.
c. 1. lit. B. C. D. Bachov. in animadvers. ad Treutl. vol. 2. disput. 26. th. 1.
lit. C. Exceptionum species quod attinet, hæ origine inspecta vel
civiles sunt vel prætoriae. Civiles vel ex legibus vel ex iis, quæ le-
gis vicem obtinent, descendunt: ut exceptio S. C. t. Macedoniani
exceptio divisionis ex epistola D. Hadriani & c. Prætoriae ex Præ-
toris J. D. ctione substantiam capiunt, ut sunt doli mali, metus cau-
sa, pacti de non petendo, & c. uti videre licet ex tit. Inst. de Except.
Sed de his consuli possunt Bernb. Sutbolt. disp. 19. aphorism. 27. 28 &
seq. Emeric. à Rosb. loc. sup. cit. tit. 39. 40. 41. 42. & 43. Wurmser. tit. 8.
observ. 3. & 4. Hartm. tit. 9. obs. 1. Giph. in antinom. jur. civil. disp. 17.
Zang. loc. sup. alleg. n. 39. & n. 40. Reinhard. Bachov. ad S. S. S. Inst. tit.
sup. cit. Wesenbec. in w. d. Except. n. 5. Schneidw. ad tit. Inst. eund.
Vult. ibid. Treutl. vol. 2. disp. 26. th. 1. & seq. Et Bachov. ibi. Hilliger.
in Donell. enucl. lib. 22. c. 2. Vigel. in M. I. C. lib. 24. c. 3. Robert. Ma-
rant. in spec. jur. aur. part. 6. membr. judic. 9. Oldendorp. in Enchi-
rid. except. quest. quoduplices sunt exceptiones. Præcipua autem di-



visio à fine & effectu desumi potest. Sunt enim exceptiones
aliæ perpetuæ & peremptoriæ aliæ temporales & dilatoria §.
appellantur. 3. Inst. d. exception. Perpetuæ & peremptoriæ sunt,
quæ semper agentibus obstant, & semper rem de qua agitur pe-
rimunt. § *perpetua 9. Inst. dict. tit. d. l. exceptiones. 3. D. eod.* Huc re-
ferunt Interpretes etiam exceptiones anomalas, quæ non le-
quantur naturam exceptionum dilatoriarum & peremptoria-
rum, sed singulari jure, tam ante quam post litis contestationem
opponi possunt, ut est exceptio ordinis, divisionis, falsi procu-
ratoris, excommunicationis, & quæcunque ostendit iudicium
esse nullius momenti. *vid. Emeric. à Rosb. in dict. prax. civil. de*
Except. anomal. tit. 43. Cum verò præcipua Reorum defensio
consistat in actionum, quibus iudicio conveniuntur, peremptio-
ne, exceptiones peremptoriæ inde natæ sunt, quæ negotium to-
tùm perimunt, & merita causæ respiciunt §. *perpetua 9. inst. d.*
Except. Gilhaus. in arb. jud. c. 5 ramusc. 10. n. 86. Bocer. part. 2. class. 6.
th 8. disp. 12. & ob id sperni & rejici non possunt, vel ab ipso etiam
Principe. l. causa. 16. C. d. transaction. Arius Pinell. in part. 1. Rubr. C.
de rescind. vend. c. 2. n. 23. Zanger. in d. tract. d. Except. part. 3 c. 1. Vo-
cantur etiam perpetuæ quod semper agentibus obstant, qualis
est exceptio doli, merus causa & c. d. §. *perpetua 9. Inst. d. Except.*
Vis earum & potestas nomine indicatur. Perimunt enim rem de
qua agitur. d. §. 9. unde dictæ à perimendo quemadm. perem-
ptorium edictum. l. & tertium. 70. D. d. judic. quia vires præcipua-
lis negotii exhauriunt. l. quoties. 2. C. d. precib. Imperat. offer. Vel
ipsam negotium interficiunt, cum dilatoriæ lædant tantùm &
vulnerent. *Hilliger in Donell. enucl. l. 22. c. 2. l. G. & quidem non*
tantum actionem (effectu enim eo res redit, ut actio nulla esse
intelligatur, vet saltem non magis obstet, quàm si nulla unquam
fuiſſet. l. nihil interest. 112. D. d. R. jur.) Sed & ipsam obligatio-
nem, ut nec res deinde amplius subsit, quæ vel natura debeat
tur l. quid si martus 3. §. Si quis. 1. D. d. pecun. Constit. l. qui Exce-
ptionem 40. junct. l. Si non sortem. 26. in pr. D. d. condict. indeb.
Zanger. d. part. 3 ca. n. 8. Nam si perimit actionem, utique &
obligationem, tanquam causam adæquatam, quam ita dissolvit.
ut

ut nullum ulterius effectum operetur. Quare etsi obligatio pacto sublata, contrario pacto resuscitetur. *l. si unus 27. §. pactis. 2. D. d. pact.* id tamen antequam exceptio in iudicio objecta & probata fuerit, procedit. Postea autem resuscitari nequit, cum nulla obligatio civilis remanserit. *Hilliger. loc. sup. cit. l. I. verb. caus.* Si quid contra leges factum esse dicetur; utpote si res dotalis, invita muliere sit alienata, *prin. Inst. Quib. alien. lic. vel. non. §. ibid. Bacbov. vel. Si mulier pro alio fidejusserit. l. si ipse. 3. C. ad. SCT. Vellejan. Oldendorp. in Enchirid. Except. quest.* Quotuplices sunt exceptiones. Hæ verò exceptiones per quas aliquis à petitione removeretur, aut initio nascuntur Reo ex iis causis, quæ jam tùm in re gerendâ intervenerunt, aut re initio recte constituta postea novis de causis exstiterunt. Quæ ab initio nascuntur, partim ex re sola sunt, partim ex persona ejus, cui tribuuntur. Ex re sola sunt, exceptio metus, doli, simulationis, pecuniæ non numeratæ &c. de quib. *vid. l. metus §. sed quod Prator. 3. vers. sed ex facto. D. quod met. caus. l. si donationis. 7. C. de his qu. vi metus. causa fiunt. Gilbaus. in arb. judic. c. §. ramusc. 10. n. 106. Bocer. part. 2. cl. 6. disp. 12. th. 11. Zanger. d. l. p. 3. c. 13. tit. d. dol. mal. §. met. except. Zang. p. 3. c. 13. §. tit. C. plus val. quod agitur quam quod simulatur Zanger. p. 3. c. 19. l. 14. C. d. non num pecun. Bocer. p. 1. cl. 6. disp. 12. th. 17. Emeric. à Rosb. in prax. civil. tit. d. except. perempt. jur. 42. n. 14. Zanger. p. 3. c. 14.* Ex persona ejus cui tribuuntur proveniunt: Exceptio SCTI Macedoniani, Vellejani & exceptio proposita minoribus per in integrum restitutionem. *§. penult. in Inst. Quod cum eo qui in alien. potest. l. 1. D. ad SCT. Maced. Bocer. cl. 6. d. sp. 12. th. 23. Zang. p. 3. c. 12. l. §. primor. §. postea 1. D. SCT. Maced. l. Si paternam C. eod. Bocer. cl. 2. disp. 17. th. 42. §. cl. 6. disput. 12. th. 27. Zanger. part. 3. c. 11. l. 7. in fin. D. d. Except. l. r. §. 1. D. d. minorib. l. si intra 2. §. seq. C. d. tempor. in integr. restit. Re* initio recte constituta exceptiones peremptoriæ quæ postea novis de causis existunt, sequentes sunt. Exceptio rei judicatæ, transactionis, præscriptionis, confessionis factæ in iudicio, jurisjurandi, perjurii & nullitatis, *§. item si, §. Inst. d. Except. Emeric. à Rosb. in prax. civil. tit. d. Except. peremptor. jur. 42. n. 23. Bocer. cl. 6. disput. 12. th. 34. Gilbaus. in arb. judic. ram. d. except. 12. num. 113.*

Zanger.



Zanger part. 3. c. 17. l. non minorem. 20. l. si quidem 24. l. five 28. C. d. transactionib. Zanger. p. 3. c. 10. l. unic. C. d. confess. l. per rem judicatam. 56. D. d. re judic. Emeric. à Rosb. in pra. civ. tit. d. Except. perempt. fact. 41. l. ait. Prator. 7. l. nam posteaquam 9. §. 1. l. jusjurandum 40. D. d. jurejurand. Zanger. p. 3. c. 16. Bocer. cl. 6. disput. 12. tb. 33. Gilhaus in arb. jud. l. sup. cit. n. 118. & in arb. jud. criminal. c. 2. t. 4. d. perjurio Zanger. p. 3. c. 21. Marant. part 6, memb. 9 n. 36. in spec. jur. Oldendorp. in Enchirid. Exception. tit. except. nullitat. Marant. d. l. p. 4. dist. 16. p. tot. Gil. in arb. judic. c. 8. part. 2. d. nullitatib. Item exceptio solutionis, solennis obfignationis, satisfactio nis, novationis, delegationis, acceptilationis, compensationis. & c. l. 49. d. Solution. Zanger. p. 3. c. 1. l. Obfignat. 9. C. de Solutionib. Zang part. 3. c. 2. Gilhaus in arb. judic. c. 5. ramusc. 10. n. 89. l. item liberatur. 6. §. quia preparatur. 1. D. Quib. mod. pign. vel hypoth. Zanger. part. 3. l. 1. D. d. Novation b. l. novatione. 8. C. d. novation. Gilhaus. in arb. judic. c. 5. ramusc. 10. n. 90. Oldendorp. in Enchirid. Except. tit. except. novat. arg. præterea. 3. Inst. Quib. mod. tollitur oblig. Zanger. p. 3. c. 6. n. 1. arg. l. 1. D. d. Acceptilation. junct. §. item per acceptilationem 1. Inst. Quib. mod. tollitur obligatio. Zanger. part. 3. c. 7. l. 1. Dd. compensationib. Wesenbec. in τ 1b. n. 2. Gilhaus. in arb. jud. c. 5. ram. 10. n. 92. Zanger. p. 3. c. 8 ubi plur. videri possunt. Ut autem aliquis à petitione removeatur, necessum est, ut exceptiones, quæ actiones perimunt & excludunt legitimo proponantur modo.

Olim quidem certæ formulæ erant proponendarum exceptionum Vult. ad tit. Inst. d. Except. n. 6. hodie vero veteri formulâ sublatâ, vel verbis proponi possunt, quando scil. summarie proceditur, vel per scripturam, quando ordo judiciorum observatur. vid. Schneidw. ad tit. Inst. de Exception. n. 8. & 9. Debent autem in quavis actione regulariter post litis contestationem & quidem usq; ad sententiam proponi. Quia peremptoriæ exceptiones non sunt de judicio constituendo, sed de jam constituto finiendo, quia rem ipsam feriunt, de quâ agitur & Reum relevant; ideo quamdiu judicium durat, tamdiu opponi possunt. l. peremptorias. 2. C. sentent. resc. non poss. c. 1. d. lit. contestat. in 6. l. cum nondum. 4. l. prescriptionum. 8. & ll. seqq. C. d. except. l. emptor. 9. C.

9. C. de prescript. long. temp. Bocer. cl. 6. disp. 12. tbes 29. Treutl. vol. 2. disp. 26. tit. 8. l. A. & ibid. Bachov. Hæn. disp. 22. contr. 11. Gail. 1. Obs. 74. n. 13. Cujac. lib. 18. Obs. 34. Nonnullæ tamen exceptiones ex jure Canonico & recenti usu etiam ante litem contestatam in vim dilatoriarum opponi possunt, ut exceptio rei judicatæ transactionis. c. 1. & 2. d. tit. contest. in 6. l. fratris. 10. l. interpositas. 13. C. d. transact. item juris-jurandi. arg. l. jusjurandum. 2 & ibid. Jason. D. d. jurejurand. ut & prescriptio. l. ut fuit. 230. D. d. V. S. l. emptor. 9. C. d. prescript. long. temp. l. 1. §. quod ait. 12. D. ad SCT. Tertullian. Et hujusmodi exceptiones quidem vim dilatoriæ obtinent, ratione modi & temporis, quod instar exceptionum dilatoriarum ante litis contestationem proponuntur: at, ratione effectus vim suam retinent, quod negotium perimunt, & per hoc litis ingressum præcludunt: Marant. in spec. p. 6. membr. judic. 9. n. 12. & 13. add. Emeric. à Rosb. in prax. civ. tit. 41. n. 7 Sed ut exceptiones istæ ante litis contestationem recte objiciantur & excutiantur, necessum est ut incontinenti possint probari: Marant. d. l. num. 16. Schneidwin. ad tit. Inst. d. Except. n. 10. Caterum dubitatio haud levis est, quomodo in continenti exceptio probari dicatur? vid. Coler. in tract. d. processib. executiv. p. 4. c. 2. n. 4. & seqq. & adc. cum venerabil. 6. X. d. Except. n. 72. add. Menoch. lib. 2. arbitr. jud. 1. cas. 18. n. 4. Bocer. cl. 6. disp. 12. tb. 83.

Quando vero in vim peremptoriarum proponuntur, earum quoque more est post litem contestatam opponi & probari debent. Dicitur autem est in antecedentibus has exceptiones opponi posse usque ad conclusionem in causa: post autem illum terminum effluxum quando jam renunciatum est, ulterioribus allegationibus, aut lata sententia ulterius opponi prohibentur. d. l. peremptorias. 2. C. sentent. rescind. non poss. Gilhaus. in arb. judic. c. 5. ramus. 10. n. 123. Bocer. d. cl. 6. disput. 12. tb. 91. & Dd. Com. omn. Fallit autem hæc regula, si appellatio interponatur, Judicio enim appellationis eas objici posse manifestum est ex d. l. 2. Cod. sentent. rescind. non poss. Bocer. d. l. Non procedit quoque hæc regula in certis personis habentibus privilegium speciale vel ratione ætatis. arg. l. minor. 32. D. d. minorib. Vel sexus

B

vel



vel conditionis, ut est filius familias, qui in sacris patris constitutus mutuum accepit pecuniam à creditoribus. *l. tamen si. 12. D. d. S. C. T. O. Macedon. item miles qui arma magis quam leges scire presumitur. l. 1. in fin. C. d. jur. & fact. ignorant. add. Schneidwin. ad d. t. Inst. d. Except. n. 9. in fin.* Uno verbo Regula superius tradita officium suum perdit, in Exceptionibus peremptoriis, per quas non impugnatur ipsum iudicatum, sed modus præscribitur executioni, pro ut est in Patre, Patrono, donatore & similibus. *d. quia. in l. sunt qui in id. 16. & seqq. D. d. re jud.* His enim omnibus post sententiam etiam denuo patet beneficium opponendi istam peremptoriam exceptionem ne in solidum exigantur, sed in quantum facere possunt, deducto videlicet, ne egeant. *l. in condemnatione. 173. D. d. reg. jur. l. Nesen. 41. in fin. D. d. re jud.* Cætera suppleat *Dd. sup. cit. vid. Coler. ad c. 6. X. d. Except. n. 62. & seq. Schneidw. d. l. n. 9. Zanger. dict. part. 3. c. 26.* Quomodo autem in exceptionibus peremptoriis proponendis in Cam. Imperiali procedatur videri licet *ex Ordinari. Camer Imper. p. 3. tit. 27. Von dem ersten Termin in erlichen ausführen. S. So der Beklagte & tit. 28. Von dem zweyten Termin. in erlichen exception. nec non tit. 29. Von dem dritten vnd andern nachfolgenden Termin. &c. S. Vnd soferne der Kläger add. Gilhaus. in arbr. judic. c. 5. ramusc. 10. num. 124.* In foro autem Saxonico exceptiones peremptoriae quæ liti ingressum impediunt ante litem contestatam à Reo recte opponi possunt. *N. O. D. Von den exception. tit. 11. vers. Es weren denn dergleichen. Dn. Carpzov. in Jurispr. For. p. 1. c. 3. d. 15.* dum modo incontinenti (Innerhalb Sächsischer Frist / das ist 6. Wochen vnd drey Tage. Magnif. Dn. Ordinari. in prælectionib. publ. ad Lancelott. Instit. tit. d. exception.) ex Originalibus actis & documentis, vel confessione partis adversæ sint claræ, manifestæ & liquidæ. *d. Proceß vnd GerichtsOrdn. l. sup. cit. ib. Alsbald. Berlich. part. 1. concl. 18 n. 38. & ib. Dd. allegat. & in primo statim termino opponuntur. d. N. O. P. l. cit. vers. Jedoch daß es im ersten Termin geschehe.* Et nunc si eiusmodi exceptiones liti ingressum impediennes ante litem contestatam opponuntur & probantur, à R. peti & à iudice pro-

re pronunciari debet, quod Reus ad institutam actionem re-
spondere non teneatur. *Coler. ad c. cum venerabilis. 6. X. de Except.*
n. 40. Berlich. d. l. n. 40. veluti etiam hodie novissime à Sereniss.
Dn. Elect. Sax. Johann. Georg. *ind. O. P. J. l. alleg. dispositum*
est. Dissent. Wesenbec. ad tit. C. d. Exception. n. 4. Quæ autem
Exceptiones dicantur litis ingressum impediennes *vid. c. l. d. tit.*
contest. in 6. Junct. O. P. J. l. alleg. Als wenn einer vorzuwenden.
Hiscæ add. Ubicunque exceptio concludit Actori jus agendi,
seu actionem non competere *vers. Oder es stehe Klägern/ ratio-*
ne intentionis facti sine actione su. &c. Berlich. concl. 18. n. 41.
42. 43. 44. & 48. Harmann. pract. obs. tit. 9. obs. 1. n. 6. Quod si
vero aliæ ante litem contestatam opponantur non attenduntur,
sed post litem contestatam reservantur, & Reo litis contestatio
injungitur. *Berlich. d. l. n. 34. Protes. vnd B. D. & l. sup. tit. vers.*
Was aber die Peremptorias &c. Præterea & hoc addendum
est, quod Reus non tantum in stricti juris sed etiam in bon. fid.
judiciis exceptiones peremptorias ab initio contestari & post li-
tem contestatam, easdem omnes ac singulas simul & semel re-
gulariter proponere necessum habeat. per vers. fin. d. tit. 11. Cui
consent. quoque jus Cesar. vid. Reichs Abschied zu Speyer / Anno
1570. §. Demnach sollen auff die gewöhnlichen Termin. &c.
Item zu Regensburg. Anno 1594. §. S. Seken demnach ordnen
vnd wollen &c. usque adeo ut Reus si eas initio contestari &
litis contestationi opponere omisit, postea easdem objicere, vel
in articulis reprobatoriis deducere & probare non possit, & si
vel maxime hoc fecerit & probaverit tamen Judex si per illis
cognoscere non teneatur d. vers. ultim. & tit. Von dem Regenbe-
weiß vers. Da auch der Beklagte auff des Klägers angemachte
beweisung & ibi. wie er bey verlust derselben zu thun schuldig.
Berlich. d. p. 1. concl. 18. n. 58. 60. 61. 62. 63. & 65. Dn. Carpzov. in
Jurispr. Forens. d. p. 1. c. 3. d. 13. Nisi exceptiones illæ post li-
tem contestatam demum suboriantur vel ad notitiam rei per-
veniant. *d. P. vnd B. D. tit. 11. vers. fin.* Reusque hoc vel jure-
jurando vel alio modo legitime probare possit *per. d. vers. fin.*
& d. 1. §. Da auch der Beklagte. vers. Es were denn das &c.



Berlich. n. 65. 66. 67. Quomodo autem post sententiam et am-
latam, exceptiones aliquando proponi & intra quod tempus
probari possint ac debeant, videre licet, apud *Zanger in d.*
tract. d. Exception. p. 3. c. 26. à n. 54. usque ad n. 141. ubi plura de
hac materia videri possunt.

à petitione remouetur Quomodum is qui actionem habet
efficacem, ipsam rem habere videtur, *l. is qui actionem 15. D. b. t.* &
contra qui actionem quidem habet sed inefficacem, h. e. qui per
exceptionem repellit potest, non videtur habere actionem aut
rem, siquidē paria sunt, ipso jure non habere actionem & ha-
bere eam, quæ per exceptionem repellit potest *l. nihil interest 12.*
D. b. t. Ita etiam in hac regula non videtur rem cepisse, siue ple-
no jure acquisivisse, qui actionem quidem habet, sed quæ per
exceptionem submoveri potest. V. C. Si stipulanti 100. pro-
misero, metu forte inductus, aut etiam dolo circumventus,
stipulans nihil cepisse censetur, cum perpetua metus vel etiam
doli mali exceptione repellit possit. *tot. tit. D. d. dol. mal. & met.*
except. Is igitur demum capere proprie dicitur, qui cum effectu
accipit, ut *supr. quoque dictum est*, ita ut acceptum penes eum
remaneat, nec ipsi invito adimi queat. *l. 71. D. d. V. S.* Hinc
Ictus *Cajus in l. non videtur. 51. D. b. t. inquit.* Non videtur
quisquam id capere, quod ei necesse est alii restituere. Cujus
exemplum reperitur *in fin. l. si pars. 1. D. d. inoffic. testament.* Ubi
filius testamentum paternum ex quo legatum percepit, ita de-
mum querela inofficiosi infringere potest, si legatum alii re-
stituere jussus sit, quasi non videatur ex testamento cepisse
legatum ad cuius restitutionem tenetur. Notabile etiam
exemplum ad hanc regulam retulit *Ulpianus. in l. si creditor.*
28. D. d. legat. 1. Ubi debitor creditori suo id quod ei debebat
legaverat cum tutus esset adversus eum exceptione, quaritur, an
hoc legatum utile sit? & respondet *Ulpian.* Legatum valere, quia
remissa creditori exceptio videtur, motus proculdubio hac re-
gula: quod non videatur cepisse, qui per exceptionem à peti-
tione removeri potest. Exemplò etiam possunt esse legata in
testamento rursus adempta vel deleta. Ea enim cepisse le-
gatarii non intelliguntur, cum heres eos legitima exceptio-
ne re-

ne repellere possit *l. 1. D. d. bis que in testam. del. l. 3. D. d. adimend. legat.* Quapropter non male dicimus eum videri cepisse, qui actionem efficacem habet, & contra, eum qui exceptione summoverti potest, non cepisse *l. 115. b. t.* Nulla enim illa censetur actio, quæ repellitur exceptione *l. 5. eleganter. 7. §. servus pactionis. 8. D. d. dol. l. si dari 25. D. d. V. O. & effectum paria sunt non habere actionem & per exceptionem infirmari l. 112. b. t. & l. si fundo 53. in fin. D. d. evict.* Ubi docet JCTUS ex stipulatu agere non posse eum, cui agenti exceptio doli opponi potest. *vid. quoque l. si quis. delegaverit. 12. & l. si non ditiozem 13. D. d. novationib. l. obligationum fere 44. §. circa diem 1. vers. nam quod alicui deberi cepit &c. D. d. O & A.* Eoq; pertinet quod dicitur, eum desinere esse debitorem, qui justam habet exceptionem. *l. Marcellus. 66. D. b. t. plura vid. poss. apud Regul. hic Petr. Fabr. Philipp. Matth. Hippolyt. à Collib. Dec. & alios.* Ex his & similibus exemplis manifestè constat hunc esse proprium & genuinum hujus legis intellectum. Alii verò non infimæ autoritatis viri, Ramus & Ferrarius |hic| aliter hanc *E.* sunt interpretati: ita, ut verbum cepisse, pro incepisse positum arbitrentur, ut hæc nimirum sit regulæ uostræ sententia: *Non videtur iudicium incepisse aut litem contestaram esse, quoad prescriptionem adversarii interrumpendam, qui exceptione repulsus est. l. moræ litis. 26. C. d. R. V.* Quæ explicatio licet tolerari possit, tamen ad hunc locum & JCTI iustitutum satis non quadrat. Quandoquidem JCTUS hic ostendere voluit propriam verbi capere significationem quod scilicet. *capere* sit cum effectu accipere & ita acquirere, ut acquiritum retineamus *l. aliud est capere. 71. D. d. V. S. Philipp. Matth. hic in pr. usq; ad n. 10.* Et forsitan antea dicta interpretatio ex hoc errore nata est quod verbum capisse cum diphthongo legerint, ut idem sit quod incepisse, quod tamen in Pandectis Florentinis sine diphthongo descriptum extat. *test. Jacob. Ravard. tom. 1. Comm. hic in fin.*

Lex XIV.

In omnibus Obligationibus] Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ



civitatis jura. *pr. Inst. de Obligat.* Est autem ab obligando vincien-
doq; dicta obligatio, nam in eo vis ejus & (ut loquitur *J. C. Paulus in l. Obligationum. 3. D. d. O. & A.*) Substantia consistit. *Wesemb.*
in w. d. O & A. n. 4. Idq; forte à neq; deductum, quod olim
obligationes per æs & libram, quod per nexum dicebantur, con-
trahebantur. *vid Reinhard. Bachov. ad princ. Instit. dict. tit. Oswald.*
Hilliger. in Donell. enucleat. libr. 12. cap. 1. Quia vero jus aliud est na-
turale, aliud civile, & subinde sola naturalis ratio seu æquitas
nos jubet dare quid vel facere nonnunquam sola & mera subti-
litas Juriscivilis identidem & utrumq; simul, hinc triplicem di-
cimus esse obligationem: naturalem, civilem & mixtam. Voca-
tur autem Obligatio naturalis, non à natura nobis cum bestiis
communi, sed à natura humana, seu rectâ ratione, quæ honestum
ab in honesto secernit. Nulla enim obligatio, proprie ita dicta,
naturalis venit ex jure naturali omnium animantium commu-
ni, sed omnis ex jure gentium. Is namq; natura debet quem ju-
re gentium dare oportet. *l. cum amplius 84. §. 1. D. de reg. jur.* Pro-
prie igitur & verè dicitur naturalis obligatio, quæ ex consensu
& alia æquitate naturali seu dispositione juris gentium primavi-
oritur. *Bartol. in l. Julianus verum. 60. vers. item dubitatur. D. de con-*
dict. indebiti. & æquitatis vinculum dicitur. *l. Stichum. 95. §. natu-*
ralis. 4. D. d. Solutionib. Porro naturalis ratio & æquitas non so-
lum vult præstari ad quod promissum est, sed quicquid alterum
alteri præstare æquam est, licet promissum non sit. *l. Servus. 7. D.*
d. serv. exportand. Eadem naturalis ratio ab eo qui beneficiis au-
ctus est, hostimentum exigit & beneficii pensationem: hinc na-
turaliter ad *Avlidweg* seu remunerationes quisq; obligari dicitur.
l. sed etsi. 25. §. consuluit. 11. D. d. petit. heredit. Et hæc obligatio na-
turalis tunc est sola, quando lex civilis eam neq; approbat neq;
improbat. Effectus hujus naturalis obligationis tantum, variâ
Dd. enumerantur, de quibus tamen hic non sumus solliciti. *vid.*
Schneidw. ad pr. Inst. d. Obligationib. num. 23. & seqq. Quemadmo-
dum autem naturalis obligatio à sua causâ seu inventrice natura
scilicet, nomen habet & oritur ab ipsâ æquitate naturali: Ita &
civilis obligatio nomen habet à causa efficiente. lege civili sci-
licet, quandocunq; lex civilis disponit, quem obligari. Nam
causa

causa producendæ hujus obligationis, erit ipsa autoritas appro-
batio vel dispositio juris civilis. *l. legitima 6. l. d. pact.* Hinc obli-
gatio civilis in genere dici potest ea, quæ ex dispositione legis ci-
vilis oritur quæ est juris civilis vinculum, quo solennitate juris
civilis adstringimur, ut cõpetat in nos quidem actio, sed ineffi-
cax, id est talis quæ per exceptionem oppositam jure Prætorio in-
firmari potest. *l. quod si maritus 3. §. Si quis autem. 1. D. d. pecun. con-
stit.* Aliter etiam describitur obligatio, quæ provenit ex approba-
tione legis, paritq; actionem non verò exactionem. Quales sunt
obligationes, quæ sola juris civilis subtilitate, non autem natura-
li æquitate nituntur. Verbi gratia, si quis quasi credendi causa
pecuniam ab aliquo stipulatus sit neque numeraverit, ex stipula-
tione tenetur. Sed quia iniquum est eo nomine ut condemne-
tur, ideo Prætor dedit exceptionem non numeratæ pecuniæ, per
quam eliditur atq; enervatur actio ex tali obligatione orta. *vid.*
§. 1. 2. & 3. Inst. d. Except. vid. Schneidw. l. sup. cit. n. 6. & 7. Ubi effe-
ctus hujus obligationis enumerat. Mixta obligatio seu naturalis
& civilis simul, est vinculum æquitatis naturalis & juris civilis,
quo quis ita astringitur, ut actio efficax in eum detur, seu quæ &
actionem parit & exactionem, quia & naturalis eam sustinet æ-
quitas, & legis civilis firmat autoritas. Hic enim est effectus ob-
ligationis mixtæ, ut non solum actionem pariat, sed etiam offi-
cium exigendi habeat. Hæc obligatio definitur *in princ. Inst. d. Ob-
lig.* Juris vinculum, quo necessitate astringimur, alicujus rei solvẽdę
secudũ nostræ civitatis jura *Locamm ad princ. Inst. d. tit. Schneidw.*
ibid. & al. Dd. Duaren. ad rubr. l. d. O & A. in princ. Obligatio hæc
mixta rursus dividitur in civilem, quæ ex lege plebisciti Scto vel
constitutionib. principũ introducta & approbata est, & prætoriam
quam Prætor ex sua jurisdictione constituit. *§. 1. Inst. d. obligat.* Per
Prætorẽ intelligi potest quilibet Magistratus juris alicuj9 cõdẽdi
potestatem habens; atq; adeo etiã Aediles, ex quorũ jurisdic. sunt
obligationes ædilitiæ & inde natæ actiones. *arg. §. Prætorum. 7.*
Inst. d. J. N. G. & C. l. jus autem §. prætorum D. d. l. & l. Prætores au-
tem sive Magistratus obligationes ex sua jurisdictione ob du-
as potissimum causas introduxerunt: prior est ut suppleant
id quod juri civili (vel naturali vid. §. sed ista quidem 3. & seqq.
Inst.

Inst. d. Actionib.) deerat, siquidem prætor juris civilis minister
est, & vix obligationem aliquam introducit, nisi cum obliga-
tio deficit ex jure civili. Posterior causa est, ut jus civile con-
firmarent & appareret Magistratum curam gerere Rcip. ad re-
primendam hominum improbitatem *text. notabil. in l. Et ita de
facto. 3. § ait prætor. i. ibi, ut innotesceret prætor curam agere reprimen-
dæ improbitatis &c. D. Nauta, caupones, stabul ut recept. restit.*
Præterea certum est, omnes obligationes, tam naturales quam
civiles, prætorias & civiles nasci ex contractu vel quasi ex ma-
lificio vel quasi. *§. sequens. 2. Inst. de Obligat. l. 3. D. d. O. & A. vid.
omnino. Reinhard. Bachov. ad d. § 2 Inst. de Obligat. n. 7.* Obliga-
tionum verò, quæ ex contractu nascuntur æq; quatuor species
reperiuntur, aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis,
aut consensu. Sed de his *infr. ad tractatus. 23. D. b. t. plura
subjiciemus. vid. §. final. Inst. de obligat. & ib. Dd. cui add. l. obliga-
mur. § 2. D. d. O. & A. Giphart. disp. jur. civil. 24. tb. 7. ubi quedam du-
bia resolvit Halliger. in Donell. inucl. lib. 12. c. 5.*

In quibus dies non ponitur] Ex supra dictis manifestum est
Obligationum substantiam in eo consistere, ut alium nobis
obstringat ad dandum aliquid vel faciendum vel præstandum
*d. princ. Inst. de Obligationib. l. Obligationum substantia 3. in princ.
D. d. O. & A.* Sunt autem earum aliæ puræ, aliæ in diem, aliæ
sub conditione conceptæ *§ omni stipulatio 2. Inst. d. V. obligat.*
Pura obligatio est, quæ purè fit sine adjectione diei & condi-
tionis: veluti promittis mihi dare decem ex causâ donationis,
& tu respondeas, promitto. In hac obligatione (vel stipula-
tione) neq; dies neq; conditio adjecta est: ideo cessit & venit
dies, id est nata est obligatio & actio, ita ut confestim illa de-
cem peti possint. *l. cedere diem 23. D. d. V. S. ubi Gædd.* Cedere
enim dies dicitur, cum obligatio nata est, & deberi incipit:
venire autem cum & efficaciter agi & efficaciter debitor exigi
potest. In omnibus enim obligationibus, in quibus dies non
apponitur præsentis diei debetur. *l. eum qui calendis. 41. § quo-
ties autem 1. D. d. V. O.* De obligatione in diem ait *J. Justin. in
d. §. 2. Inst. de Obligat.* quod ita promissum est, deberi quidem
statim



statim, sed peti non posse priusquam dies venerit, nimirum
quia in hac specie obligationis cessit dies id est, incipit res de-
beri. *d. l. 213. d. V. S. & in l. centesimis. 46. in princ. c. D. d. V. O. dicitur:*
obligationem quidem presentem esse, sed in diem delatam solu-
tionem. Hæc enim dies (de qua loquitur *d. l. 46.*) apposta est
differendæ solutionis gratia, in favorem debitoris. Idem et-
iam obtinet in die tacita, quæ etiam legalis appellatur, quando
scilicet promissioni tantum tempus inest: veluti si quis Sem-
pronio promittat: darem decem in certo loco, puta Lipsiæ,
nam tunc inest tantum tempus quo promissor eo pervenire
possit. *S. locat. 5. Inst. d. V. O. l. interdum. 73. l. continuus. 137. S. cum*
ita stipulatus sum 2. l. eum qui calendis. 41. S. quotiens 1. D. eod. Li-
cet enim hæc stipulatio quoad verba pura sint; tacitam tamen
temporis dilationem præstat. *d. l. 41. S. 1. D. d. V. O. & S. locat. 5.*
Inst. eod. Et sicuti ante diei adventum non potest debitum
peti: ita quoque nec ipso die, qui solutioni destinatus est, sed
tùm demum ubi is dies finitus est, & hoc in quacunq; tempo-
ris parte locum habet. *S. omnis stipulatio. 2. Inst. de V. O. l. qui hoc*
anno 42. & de l. eum qui calendis. 41. S. 1. & l. eum qui certarum 138.
D. eod. tit. ubi is qui promissit nundinis, non potest conveniri, nisi ulti-
mo die nundinarum. Quemadmodum enim totum tempus in-
termedium liberum promissori vel debitori relinquitur:
ita etiam regulariter dies favori ejus adjicitur, ne ante ad so-
lutionem compelli possit. *Dn. Carpzov. in Jurissr. Forens. part.*
1. const. 8. def. 4. n. 4 & part. 2. const. 28. def. 11. n. 2. & 3. Hoc tamen
duobus modis limitat *Schneidw. ad d. l. 2. l. st. d. V. O. n. 9. 1.* Nisi
hoc expressè inter partes actum fuisset. *Secund. Bartol. & Dd.*
in d. l. eum qui certarum. 138. D. d. V. O. II. Nisi dies sit adjecta, ut
presens obligatio ostendatur, non causa differenda solutio-
nis. *V. C. promittis mihi hodie dare decem d. l. liber homo 118.*
S. decem. hodie 1. D. eod. tit. Dicitur est de obligatione pura &
in diem, sequitur conditionalis. Circa cujus descriptionem
præmittendum est, quod conditio proprie dicatur, quando
aliquid confertur in casum dubium, qui potest se habere ad
esse & ad non esse & sic in futurum eventum *Cyn. in l. 1. C. d. In-*

C

stit.



Art. § Substit. Est autem conditio multiplex. Quædam
est necessaria: quædam impossibilis: quædam verò possibilis.
Conditio necessaria est, quæ habet certam & infallibilem
causam & necesse & certum est, eam aliquando exituram.
v. c. Si Sol cras orietur, vel si Paulus morietur. Conditio im-
possibilis alia dicitur respectu naturæ, alia respectu facti, alia
respectu juris & alia deniq; respectu pugnantia: sive perplexi-
tatis. *vid. Schneidw. ad § sub conditione 4. Inst. d. V. O. add. Dd.
in l. impossibilium. 185. D. de reg. jur. § l. non solum 31. D. d. O. & A.*
Conditio possibilis est, quæ habet se ad utrumq; contingere
& non contingere, cum pendeat à casu & fortuna. Estque
triplex: Quædam est casualis, cujus eventus pendet ex casu &
fortunâ *verb. c.* promitto tibi centum si Resp. Veneror. vicerit
Turcam; hoc enim pendet ex futuro eventu casu & fortunâ.
Quædam est potestativa, cujus eventus dependet ex voluntate
personæ scilicet ejus, cui promittitur; veluti, promitto tibi
mille imperial. si navatis operam studio juridico &c. Quæ-
dam deniq; est mixta, quæ aliquid participat de potestativa &
de casuali conditione. Fitq; duobus modis. Uno modo di-
citur mixta, quæ partim pendet ex facto ejus cui aliquid pro-
mittitur, vel voluntate, partim ex casu & fortunâ. Et de tali
conditione idem servatur quod de casuali: veluti promitto
tibi centum, si redieris ex Angliâ *vid. text. in l. si pater 4. C. d. in-
stit. § substit.* Alio modo dicitur mixta, quæ pendet ex facto
& voluntate ejus cui promittitur, & partim ex alterius vo-
luntate: veluti, promitto tibi prædium Tusculanum, si duxe-
ris filiam Sempronii & de ista judicatur tanquam de potesta-
tiva *text. notab. in l. i. c. d. instit. § substit. & ibid. Cyn. add. Giphon.
disp. jur. civil. 26. th. 10. Schneidw. in de § sub conditione 4. Inst. d.
V. O. n. 5. 6. & seqq.* Præ cæteris autem *Reinhard. Bachov. ad d. § 4.
Inst. d. V. O. in princ.* Ex his jã facile intelligi potest natura obli-
gationis sive stipulationis potius vel contractus conditionalis
vid. omnino Bachov. loc. sup. cit. statim in princip. Fit igitur sub
conditione contractus vel stipulatio, quando obligatio non
statim inducitur, sed differtur in aliquem casum §. *sub condi-*

ne. 4. *Inst. de V. O.* & interior tamen spes est obligationis futurae
quae transmittitur etiam ad heredem d. §. 4. *in fin. Inst. de V. O.*
vid. Hypolit. à Collib. hic. Sed de his alibi.

presenti die debetur] Hac lex ad puram obligationem, id
est, quae neque in certum tempus, neque sub conditione con-
cepta est, tantummodo spectant atque pertinet. De pura igitur
obligatione. *Ctus in b. l. 14 loquitur: & effectum ejus hunc*
esse dicit, quod de debito pure promisso, statim agi possit.
Dn. Carpzevan Jurisprud. forens. p. 2. c. 28. d. 19. n. 5. eodem etiam
die quo promissum est. l. liber homo. 118. §. decem. 1. D. de V. O. Ra-
tio est quia ubi causa est praesens, ibi & effectum praesentem es-
se oportet. *arg. l. 1. in fin. D. Quod quisq. jur. & deinde ne promif-*
siones sint inutiles & de vento. l. continuus. 157. §. illud. 4. ib. fa-
cultas persona est commodum incommodumq. non verum. D. de V. O.
Imo ratio hujus regulae ex opposito quoque perspicua reddi
potest. Ut enim stipulatio in diem est ea, in qua dies poni-
tur vel exprimitur, ita non est in diem sed praesens & pura ob-
ligatio, in qua dies non ponitur seu exprimitur. *Ufus hujus*
Regulae maxime est, non solum in stipulationibus, sed etiam
in reliquis contractuum generibus & inde ortis obligationi-
bus itemque in legatis. Exempl. gratia. Si quis quinque aure-
os sibi dari stipulatus est, non adjecto die, praesenti die debentur
& confestim peti possunt. *§. omnia stipulatio. 2. Inst. de V. O. l.*
eum qui. 41. §. 1. D. eod. l. promissor. 21. §. 1. D. de pecun. constit. Sic in
legato pure relicto, diem ejus, à morte testatoris cedere & ve-
nire dicimus, ut sic confestim ad eum pertineat, cui est reli-
ctum. *per. 3. regul. iunct. arg. §. 1. & 2. Inst. de Legat.* Observan-
dum tamen est, quod licet praesenti die debeatur illud quod
simpliciter promissum fuit: non tamen statim promissor cogitur
solvere. *gloss. hic & in d. §. 2. Inst. de V. O.* Et quamvis in-
terpellatio constituat debitorem in mora *l. si ex legat. caus.*
D. de V. O. §. l. quod te. 5. D. de R. credit. ibi. Dd. hoc tamen intelli-
gitur cum aliquo spacio arg. l. si quis filium. 5. §. stipulatio 1. D. de
collat. bonor. Barrol. in l. si penam D. Quand. dies legat. cedit.
Dec. hic. n. 6. *Nec enim statim cum facio creditor paratus venire*



debet. l. quod d' cimus. 105. D. d. solutionib. Sed miserationis gratia modicum debitori tempus ad solvendum conceditur, quod à jure non est determinatum, sed in arbitrio judicis est, prout ei secundum personarum & locorum varietatem videbitur. arg. l. 1. D. d. ju. de lib. Bartol. & D. d. in l. quod d' cimus. 105. D. d. sol. t. onib. De. hic l. sup. cit. Ang & D. d. ad §. 2. Inst. d. V. O. In tribus tamen casibus reperitur tempus à jure expressum. I. In constituto, ubi debitor ante decimum diem conveniri non potest. l. promissor. 21. §. 1. D. d. pec. const. II. In dote, quæ intra annum solvenda est, l. §. cum autem. 7. vers. exactio C. d. re uxor. act. III. In re judicata, quando quis per sententiam condemnatur, dilatio quadrimestris ad solvendum ei concessa est. l. final. §. fin. C. d. usur. rei judic. l. si debitori. 21. D. d. judic. Bronch. hic De Jure vero Saxonie hoc casu spaciū 6. sept. & dies. 3. N. O. P. J. tit. Von der Execution vnd Nülffe 39. vers. Wann aber das Urtheil &c. conceditur. Regula autem hæc non procedit, quando tacite in obligatione dies comprehenditur, ut cum locus adjectus est obligationi, puta promittit se aliquis Romæ soluturum, ejusmodi obligatio, etsi pura sit, non tamen ante peti potest, quod debetur, quam Romam perveniri possit. §. loca. 5. Inst. d. V. O. d. l. eum qui, 41. §. quoties i. l. interdum 73. D. eod. l. 3. §. si quis ita D. d. R. credit. & hoc etiam habet locum respectu fidejussoris l. si testamento 49. §. quæ situm est. 2. D. d. fidejussorib. l. si ut proponitur 61. D. eod. qualitas enim loci vel temporis posita in principali obligatione reperita intelligitur in obligatione fidejussoris secundum Bartol. n. 11. si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus. 2. D. d. V. O. Bald. in l. Tit us. C. d. oper. libert. Dec. hic n. 1. Eodem modo si quis purè promittat id, quod in utero est aut fructus adhuc nascituros, non ante ea obligatione conveniri poterit, quam per rerum naturam foetus editus aut fructus in horto nati fuerint. l. interdum 73. l. 1. continuus. 137. §. cū ita 2. D. d. V. O. add. l. nihil peti potest. 186. D. b. 1. Dec. loc. sup. cit. Idem dicendum est, si ex promittentis voluntate aut qualitate dies contractus tacite adjectus appareat.

Un-



Unde si testator relinquat puellæ dotem, sane ea non præstari
debet, ante nubilem ætatem *arg. l. qui filium. 4. D. ubi pupillus edu-
car. vel morar. debet.* Dos etenim sine matrimonio non intelli-
gitur *l. 3. D. d. jur. dot. add. ea quæ trad. Dn. Carpzov. in Jurisprud. Fo-
renspart 2. Const. 46. def. 20. n. 5. part. 3. Const. 13. def. 25. n. 3. item part. 3.
Const. 19. def. 8. n. 5.* Similiter si quis domum vel Insulam ædifi-
cari stipuletur, tacite tempus inest, quo id fieri possit. *text. nota-
bil. in l. Si ita stipulatus essem. 14. l. interdum. 73. D. d. V. O.* Item si sti-
puletur Patronus operas officiales, constat tacite illud tempus
inest donec indicantur. Ex commodo enim patroni petendæ
sunt *l. si quis. hac lege. 13. §. iudicium. l. cum patronus. 22. l. quoties. 24.
D. d. oper. libert.* Ex his igitur apparet, tunc huic regulæ locum
esse, ut scilicet pure promissum præsentis die, hoc est, confessim
debeatur, cum neque locus neque res neque verba contractus
adjectum tempus habent. *plur. vid. poss. apud Regulist. hinc.* Jam qua-
ratur, si dies obligationi adjectus sit, quid juris? Resp. diem il-
lum vel certum esse, veluti calendis Martiis & vel in certum, ut
cum Petrus Romam venerit *arg. l. §. penult. D. d. condit. & demon-
strat. l. si dies. 21. D. Quand. dies legat. ced.* Si certus obligationi dies
adjectus est, obligatio quidem non suspenditur sed actio. Etenim
statim debetur id, quod ita in obligationem deductum est, non
secus ac si pure promissum esset: verum antequam dies extiterit,
peti exigiq; illud non potest. *d. §. Omnis stipulatio. 2. Inst. d. V. O. l. ob-
ligationum. fere. 44. §. 1. D. d. O. & A.* Si vero dies obligationi ad-
jectus incertus sit, ante, quam dies iste venerit, nihil debetur,
quoniam dies ejusmodi conditionis instar habetur, in testamen-
tis quidem semper *l. talis Scriptura. 30. §. sed et si sub conditione. D. de
legat. I. l. dies. 73. D. d. Condit. & demonstrat.* in contractibus verò
ita demum, si plane in certum sit dies, ita ut dubium sit, an exti-
turus sit unquam: veluti si quis stipulatus sit decem, cum Sejus
Romam venerit *l. quodcumq;. 45. §. pen. D. d. V. O.* Itaque quantum
distat conventio in diem ab ea, quæ fit sub conditione, tantum
etiam differt obligatio vel conventio in diem certum ab eâ,
quæ fit sub die incerto sive in diem incertum: cum nihil
inter sit si b die incerto, an sub conditione quid debeatur. *l. suf-
ficat.*



*ficit. §. 6. D. d. Condi. et. indebit. Philipp. Matth. hinc. à num. 12. usq. ad
n. 20. ubi plur. videri possunt.*

T A N T U M.



COROLLARIA.

I.

**Exceptiones dilatoriæ ante litem contestatam
opponi debent.**

*l. ita demum 13. C. d. procuratorib. l. exceptionem 19. C. d. prob. at.
l. pen. & ult. C. d. Except. Angel. ad rubr. Inst. d. except. n. 13. Bart. in l. si
convenerit. D. d. 7. Dictione. n. 3. Donell. lib. 22. Comm. c. 1. Gail. l. b. 1. ob-
serv. 33. Mynsing. Cent. 4. obs. 59. Cujac. lib. 18. obs. 34. Bronch. Cent. 4.
abs. 29. Arum. disp. 19. Exerc. 7. Henon. disp. 22. contr. 13. Ita ut iis omis-
sis, reus post judicium acceptum ipsis renunciassè videatur. d. l.
ita demum. 13. C. d. procurator. l. si quidem. 9. C. d. Except. c. cum cau-
sam 62. X. d. Appellat. Hilliger. ad Donell. lib. 22. Comm. cap. 9. lit. C. c.
vid. Zanger. in tract. d. Exceptionib. part. 2. Dn. Carpzov. in Jurisprud.
Forens. part. 1. Const. 3. d. 1. & d. 4. & 5.*

II.

**Exceptiones reo competentes fidejussoribus
etiam conceduntur.**

*l. omnes. 19. D. d. Except. l. defensiones. 11. C. eod. tit. l. ex persona.
32. D. d. fidejussorib. Quæ tamen assertio tali distincti one tempe-
rari vel explicari potest: quod aut sunt exceptiones, quæ perso-
næ coherent, & ex personali beneficio vel privilegio Reo com-
petunt, & hæ non transeunt ad fidejussores. Aut propter rei ne-
gotii que naturam dantur; & hæ fidejussoribus competunt l. ex-
ceptio-*

ceptiones. 7. *D. d. Exceptionib. vid. §. fin. Inst. d. Replicationib. & ib. Loz
cam. Reinh. Bachov. aliosq. Dd. add. Bronch. Cent. 4. a. §. 56. ubi ad con-
traria argumenta respondet.*

III.

Nemo prohibetur pluribus exceptioni- bus uti.

*lis qui. §. l. nemo. §. D. d. Except. quamvis diversæ sint d. l. 8. &
ibid. gloss. c. nullus. 20. d. R. 7. in 6. aut contrariæ modo in factis sunt
compatibiles. Zang. in tract. de Exception. part. 3. c. 26. n. 336. & seqq.
Treutl. vol. 2. disp. 26. ib. 7. d. A. & ib. Bachov. Bocer. cl. 6. disp. 12. ib. 7. 6.
Speckhan. Cent. 2. class. 14. quest. 2. Menoch. lib. 2. presumpt. 42. num. 6.
Plures autem illæ exceptiones simul sunt proponendæ l. scire o-
portet 13. §. scire autem 8. §. oportet. 10. D. d. Excusat. tut. cap. Pastora-
lis 4. X. d. Except. Cammergerichtsordnung. part. 3. tit. 24. §. ult. &
tit. 27 §. ult. ibid. add. Speckhan. d. l. n. 5. Quotamen interdum opus
non est, ut si Reus sciat profus esse intentionem Actoris falsam:
tum enim sufficit intentionem Actoris negare, absolvetur namq;
et si nihil præstiterit l. si quidem 9. C. d. Exceptionib. l. frustra. 8. C. d.
probat. l. qui accusare 4. C. d. edend. Coter. ad C. cum venerabilis 6. X. d.
Except. n. 64. & n. 90. Zang. l. sup. cit. n. 2. & 3. Caterum si Reus exi-
stimet Actorem intentionem suam probare posse, aut dubitet,
hoc casu consultius est exceptionem in iudicium ut deducat, ea-
que se defendat. d. l. si quidem 9. & ibid. Dd. C. d. Exception. Omnis
autem exceptio alleganda est, etiamsi maxime notoria sit. arg.
l. 2. D. d. Except. cum simit. nec enim iudex supplet, nisi ex actis
appareat. Schneidw. ad tit. Inst. d. Except. num. 8. Zanger. d. l. num. 6.
& 7.*

IV.

Obligatio recte juri rerum annumeratur.

*arg. §. incorporates 1. Inst. d. R. C. vel incorpor. Est enim obli-
gatio quoque modus acquirendi, quia stipulationes vel obliga-
tiones*

tionem ad hoc inventas esse asserit Imperat. in §. alteri. Inst. d. inutilib stip. ut unusquisque acquirat sibi, quod sua interest. Neque id negatur à Jcto in l. Obligationum 3. in princ. D. d. O. & A. quando ait: Obligationum substantiam non in eo consistere, ut aliquod corpus nostrum aut servitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat, ad dandum aliquid vel faciendum vel præstandum. Nihil enim aliud dicitur his verbis quam quod obligatione quidem non adquiratur ipsa res seu dominium proprietatis, adquiratur tamen jus in re. vid. l. species 11. D. d. Exception. Gædd. ad l. 49. n. 8. D. d. V. S. & in tract. de contrab. & committend. stipul. cap. 9. concl. 3. in fin. Guil. Forst. disp. 2. th. 1. Uno verbo: Obligatio inhæret quidem personæ, sed ita ut ei imponat necessitatem alicujus rei solvendæ seu præstandæ, id est, afficit Personas, non quatenus personæ sunt, sed quatenus hic est debitor, ille creditor. Jam verò debitorem esse & creditorem dicitur intuitu rei quæ debetur, & sic recte dicitur obligatio esse in personis subjectivè, in rebus autem objectivè. Hâc distinctione adhibitâ facilis erit ad contraria responsio

Bernb. Suthol. disp. 12. aphor. 3.

SOLI DEO GLORIA,



AD
Politissimum Dn. Respondentem
Amicum suum dilectum

Semper magna manet laus, decus optimum
Illos, qui patriam solum
Armis fortibus, & Martis ope adjuvant
Defendendo tuendoque.
Verum non minor est laus, decus haud minus
Illis, qui patriam domum
Musis *Romuleis* Arteque protegunt
Dissertando docendoque.
His MOLLERE tuam cum patriam juves
Armis nobilibus: manet
Te laus nobilis, & nobile præmium
Quod dignum studiis tuis.

Henricus Coselius de Pezlinorex J. U. D.

AD
Prestantissimum atq; Literatissimum Dn: Respondentem
Amicum meum eternum amandum.

Quem virtus stimulat tenebras exosa latere
Mens generosa fugit, cupit ast prodire sub auras,
Scilicet ut capiat virtutis præmia digna
Hæc quoque quod solers tentas animare cathedram,
Virtutisq; comes, Te, gloria vera manebunt.

adposuit.

Georgius Fridericus Nagel.

Sedula Fatidicæ quod sit Tibi cura Themistos
Comprobat hoc specimen, comprobat ipsa Themis:
Astrææ pergas penetrare sacraria Diva
Fama Tuum subito Nomen ad astra vehet.
Cumq; Tuæ studeant genio suadente Camœnæ
Inclyta Leucorei relinquere castra soli

D

Conco-



Concomitante D'eo supremo lætus abito
Impediat coeptum nec latro sævus iter

*Præstantissimo Dn. Respondenti
Amico suo honorando applaud.*

M. Johannes Georgius Werner/
Pirnâ - Misnicus.

Ad Præstantissimum ac Politissimum.

DN. RESPONDENTEM Fautorem atque Amicum
suum honoratissimum.

Sacro jure Peritus honestè vivere, nullum
Lædere, cuique studet distribuissè suum.

Inde licet verbis ob - req; ligatio facta;

Excipiens contrâ non tamen omnis agit.

Actor enim justam conventi reddit iniquam

Causam cum pacti fraude doloq; petit.

Macte animi hæc nunc edocti, ac compedia juris

MOLLERE studeas. Jure Peritus eris.

M. Tobias Freigang Elstrâ - Lusat.

Sonnet.

Ihr thut gar recht und wol das Ihr Euch laßt belieben
Der Themis ihre Zier / und was Justinian.

Das damahls Oberhaupt der Welt / bringt auff die bahn /

Was der Pomponius, was Ulpian geschrieben /

Erforschet / welches ihr / Herr Moller Ewr' verüben

Bezeuget. Denn was man nicht selten hört: es fand

Nicht wol beyammen sein ein Rechtsgelehrter man

Und denn ein frommer Christ; soll keinen nicht beüben

Weil solche reden voll von Lügen / haß und neide.

Wahr ist / man findet zwar auch wol zu mancher zeit /

Der des Gesetzes sinn gar meisterlich kan zwingen

Auff sein vnrechtes thun; doch das thun alle nicht.

Drumb laßt Euch den mundt / der vnsern Standt ansticht

Herr Moller leichtlich nicht von Ewren Vorsatz bringen.

Esaias Major Vratislaviensis LL. Studiosus.

Im

IN Sophiæ nuper, magnâ cum laude fuisti,
Nunc & in Astræ, non sine laude, foro.
Utraq; certatim tibi laurea ferta parabunt,
quæ sine ingenio digna brabæa tuo.

Sigismundus à Nimpsch Eques Silesius.

PRodis, Amice chare, siccine, splendidam
Ut ipsa dirigat tuam pugnam Themis,
Et approbet Parnassus eam laurifer,
Ter-gemino & hanc honore certet tollere
Caterva tota lacte Palladis sacro
Nutrita? Nam de jure mirâ differis
Prudentiâ, prudensq; pondera ponderas,
Quænam ferat tuum lacertorum robur.
En hæc tua est avena perquam nobilis,
Et hic, Amice, dignus est campus tibi!
Quare pati qui non jubar Phœbi potes,
Caliginose noctuarum exercitus
Alis tuis stridentibus te, conferas
Spreta ad loca, ac exerceas, seros tuos
Cantus ibi: Aquila nostra sublimis suo
Alarum ad astra celsa remigio volat,
Hinc & suis dignis fruetur præmiis.

*Amico suo amicissimo &
certissimo gratulabundus f.*

Johannes Brecht Brandenb. March.
LL. Stud.

Destruit atq; rapit sævæ violentia morris
Omnia in hoc Mundo, sint pretiosa licet.
Sola sed evitat durum *Sapientia* fatum
Semper & Aonidum præmia clara manent.
Sic, MOLLERE, tibi cordi *Sapientia* sola est,
Evolvis Sophiæ, tam Themidosq; libros:
Et linguis specimen præclarum: Præside claro
Differis & doctè *Coseliog*, duce.

Ergo



Ergo tibi remanent Themidos amplissima dona
Quæq; tibi tandem largius illa dabit.

Apponebat Amico suo atq; contubernali honorando,

Christianus Büttner /

Hayn. Misnic.

TE quoties video, Mollere, tuive recordor,
Gorlicii toties mentio blanda subit.
Tam charæ Matris, quæ me quoq; pavit & olim
Jucundo tenuit dulcis alumna sinu.
Ah utinam possem, Coelum, Terramq; moverem,
Quo Mater saltem tam pia salva foret.
Marcet enim facies ejus, quæ florida quondam
Spirabat Veneres roscidulo ore meras.
Maræt. At interea tamen est Nutricula Phœbi,
Nec pauca Æonii pignora Patris habet.
Hoc Mollere, mihi sat testarere, *Catonis*
Ni scirem quantos hæc tua Mater alat.
Scipiaden, Gebleriaden, reliquosq; tacebo,
Quorum doctrinam charta loquetur anus.
Vechneri admiror doctores, Suadamq; placendam,
Molleri veneror cor, solida arte potens
Nec secus *Hasfurdi*. [Quæis tantum debeo quantum
Gratus Aristocli debet Aristoteles.
Hostua Mater habet *Varrones*, optime Theseu,
Qui studiis Clarii Te poliere Patris,
Ut nunc percepta Witebergæ mente Themistæ,
Edere juridicum non vereare Thema.
Hic qui Gorliciiis meliore efficta negarit
Corda luto, luteo non caret ingenio.
Ast Tu, macte animo, MOLLERE, Themista Tiaran,
Munera quo mentis sunt tua digna, dabit.

Sic gratulando ominatur

Florianus Klepperbein.


F I N I S.

X 2615918

VJ 17







784.

DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE!
ENODATIONEM
LEG. XIII. XIV. TIT.
PANDECTARUM

13
1646 3
a

13

POSTREMI,
Quæstionibus materiæ subjectæ
convenientibus illustratam, & ad disputandum

In Inclytâ Leucorêâ

Ex decreto atq; Authoritate Amplissimi
Collegij Juridici propositam,

PRÆSIDE

HENRICO COSELIO
de Pezlinovez J. U. D.

Amica dimicationi subjiçiet

IGNATIUS MOLLERUS

Gorlicio-Lusatius,

Ad diem 2. Novemb.

horis & loco consvetis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO MDCXLVI.

us
D.

